



# PALAESTR LATINA



Ordinarii et Superiorum permissu



## HOMERUS

Hermes ex marmore in Musaeo Britanico

## SUMMARIUM

Exercitationes Scholares,	(TOMELIN, CAMPS, MARIAÑO, NOGUÉS)
Lectoribus salutem,	(AVENARIUS)
Veni coronaveris,	(URQUIOLA)
Regina Pacis,	(LUCESOLA)
Nova et Vetera,	(MIR)
De Georgii erratione	(AVENARIUS)
Commercium Epistulare,	(MIR, WAGNER, CANALS)
Per Orbem,	(MESA)
Homeri Odyssea,	(RUIZ)
Bibliographia,	(JIMÉNEZ)
Curtiosa et Jocososa.	(NUGATOR)

# Exercitationes Scholares

## Balbus Balbum rectius intellegit

Nobilis advocatus emit ab agricola ingens lignorum pondus; hic dum relinquebat in domo advocati ligna vendita, repperit inter ea ligonem: quem videns advocatus, dixit agricolae: Amice, super hoc pondere lignorum magna lis exorta est. — Respondit agricola: Quo pacto? — Quia ego a te emi, dixit advocatus, totum pondus; ideo nequis tollere ligonem. — Tunc agricola: Ergo litem dicis esse hac de re? — Equidem, lis inter nos est; ait advocatus: tu ipse vides.

—Decem argenteis certemus litem hic non esse. — Sit ita, dicit advocatus. — Decem argentea pacta sunt? ait agricola. Quid dicis? — Dico et assero mea omnia ligna. — Tua? respondit agricola; sint ergo tua profecto; accipe ligonem. Vidistine litem non esse? Igitur mea quoque est sponsio et plurimum scio quam tu, sapiens advocatus.

STEPHANUS TOMELIN, C. M. P.

in Argentina. e 4 latinitatis cursu.

## Lugete, o Veneres

(Ex operibus C. V. Catulli)

¡Llorad, Gracias y Amorcillos,  
flor de humana bizarría!  
¡Se me ha muerto el pajarillo  
de mi niña las delicias!  
A fe que Lesbía lo amaba  
más que a sus propias pupilas.  
Porque melosito era  
y tan bien la conocía  
como la hijita a la madre:  
Ni de su regazo se iba;  
piaba a sola su dueña,  
iba allá y acá venía.  
Ahora vagando va  
por sendas oscurecidas  
de donde a nadie, se dice,  
la vuelta fué concedida.  
¡Oh! Mal hayáis, de la muerte  
oscuridades malignas  
que os tragáis toda belleza.

Me quitasteis la avecilla  
tan hermosa! ¡Gran desgracia!  
¡Oh pajarito sin dicha!  
Por ti inflamados de llanto  
tiene sus ojos mi niña!

LUIS CAMPS, C. M. P.

E IV latinitatis cursu.

## O Beata Vita!

Illimem circum fontem consedimus,  
gaudiis in spatio lato monstrantibus  
fruendo; praecipue, quod majorem ad  
nos voluptatem ferebat, jucundus sonus,  
quocum imperiosi populi, sibilante aura  
zephyri jucunda, super nos agitabant se  
pleni rami sui trementes passeribus maculosis, qui summa ope nitebantur nostra simulare cum canticis suis. Huc rauca phasiana, illuc suaves audiebantur alaudae, illac canebant merulae, turdi et illaci, empupaeque; usque hiblaeae apes, in nostra terra, levi susurro flores exugunt. Aestivum tempus omnia spirabant. Ros marinus, thimus, imbuunt odorem, vaporant poma; rami vix sustinere fructus possunt. O beata vita!

A. MARIAÑO, C. M. F.

Xerae Equitum (ad Aquas Sanctas)

## Miles acutus

Miles pedibus Matritum tendens,  
cum forte respexisset, raedam vidit adventantem a duobus equis tractam. Labore itineris et armorum pondere defessus, dominum raedae rogat ut consistat: «Parce, quaeso, inquit si te sic moror: scire tamen velim num Matritum eas». Cui raedarius: «Matritum equidem tendo». — «Si sic est, me adjuva seriusque senties me gratum». — «Quid vis faciam?» — «Peto ut sagum hoc Matritum feras». — «Libenter faciam: sed dic ubi sagum, itinere confecto, deponendum mihi sit». — «Noli sollicitus esse de hac re; egomet intra sagum ibo». Raedae dominus tenere risum nequivit militique rogavit, ut raedam conscenderet.

GEORGIUS NOGUÉS, C. M. F.

E II Cursu.

# SANATORIUM

Nostin' novos medicationis naturalis productus?

Formulae sunt Rdl. Dris. J. Garcia Roca

Contra Arthritismum:

**Sanatorium Depurativum.**

Contra affectiones gastricas:

**Sanatorium Eurepticum.**

Contra restrictionem ejusque causas:

**Sanatorium Purgans.**

Contra phthisim in omnibus morbi periodis:

**Sanatorium Regenerativum**

Contra anaemiam, clorosim et organicas feminarum perturbaciones:

**Sanatorium Pilulae Ferrugineae.**



Veneunt in pharmacopolis et specificorum sedibus

FABRICA DE MEDALLAS  
CRUCES :: DISTINTIVOS  
INSIGNIAS :: ETC.

# A U S I Ó

PROVENZA, 376

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis



# Textos Palaestra

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

**Apartado 1042. - Lauria, 5. - Teléfono 15013. - Barcelona**

*Para el Primer Curso:*

**Historiae Sacrae Compendium**  
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

*Para el Segundo Curso:*

**Epitome Historiae Graecae**  
(2.<sup>a</sup> ed.) Texto, notas, vocabulario 5 pts.

*Para el Tercer Curso:*

**Ciceronis Epistulae Selectae**  
Solo texto latino 1 pta.  
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

**Caesaris de Bello Civili**  
Texto y notas 5 ptas.

*Para el Cuarto Curso:*

**Ciceronis pro Archia Poeta**  
Solo texto latino 1 pta.  
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

**Ciceronis in Catilinam Oratio I**  
Solo texto latino 1 pta.  
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

*Para el Quinto Curso:*

**Virgillii Aeneidos liber II**  
Solo texto latino 2 ptas.  
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

*Para el Sexto o Séptimo curso*

**Prudentii Carmina Selecta**  
(2.<sup>a</sup> edición, en preparación)  
Texto, notas, vocabulario

**Canto 1.º de la Odisea**  
Texto y notas 5 ptas.

**Primer Curso de Lengua Latina**  
adaptado al Cuestionario Oficial 3 ptas.

**Segundo Curso de Lengua Latina**  
adaptado al Cuestionario Oficial 5 ptas.

**Tercero y Cuarto**

**Curso de Lengua Latina**  
adaptado al Cuestionario Oficial  
(en preparación)

## Repetitorium

Libro de prácticas escolares para las primeras clases de latín. Contiene:

Programas, Vocabularios, Ejercicios, Temas, Curiosidades  
Índices.

Precio en simil tela 15 ptas.

## Palaestra Latina

Colección completa,  
desde Enero de 1930  
hasta Diciembre 1942,  
en fascículos sueltos 100 ptas.

*De próxima aparición:*

**Horatii Carmina Selecta**  
Texto, notas, vocabulario

**Crispi Sallustii Selecta**  
Texto, notas, vocabulario

**Canto 2.º y 3.º de la Odisea**  
Texto y notas

### EN PREPARACION OTROS TEXTOS

Descuentos especiales a librerías y, en pedidos de consideración, a Profesores y Colegios

# PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barsinone - Apart. 1048

## LECTORIBUS PALAESTRAE

**L**EGENTIBUS interpretationem Georgii Pelleterii quaedam novata vocabula aut jam deprehensa sunt, aut certe deprehendes, quorum vel novitatem admireris, vel sensum quaeras. Sic ergo habe: me nunquam fuisse, nunquam futurum esse in numero eorum, qui linguam Latinam occidunt ea omnia respuentes atque proscribentes, quae in veterum non inveniunt libris usitata, proinde quasi illi veteres nostra instituta et noverint et suis descriperint vocabulis. Si nulla jam licet introduci vocabula recte quae tracta sint ex vetustis, fontibusque hausta non solum Graecis, veram etiam ex iis potissimum linguis quae in terris sermonis quondam Latini hodiernis rebus non raro convenientissima excogitata habent vocabula, quae illi veteres ultro arripuissent, cum legitimae cognoscerentur Latinae puritatis propagines: si non liceat Latine loquentibus uti vocabulis, quae novis inventis aut institutis ita imposita sunt, ut in linguas transferint nationum omnium, internationalia sint vocabula, lingua Latina cadaver erit, nos Latine loquentes induemur pellem a serpente tepesfacto tempore veris destrictam. Deus meliora! hic mecum exclames. In re tamen tam clara semper in incerto haerebimus, nisi ille cogetur coetus virorum doctorum, cujus communi conspiratione fas sit de de jure novarum vocum decernere.

Itaque, ut praecipua tibi ostendam mea nova: Rasputinum «lignipedem» feci, quod alterum crus eius ligneum erat, sicut crassipedem et latipedem et tardipedem dixerunt antiqui. Quendam hominem etiam «vitratum oculos» dixi, accusativum Graecum usurpans. «Vitrare» apud Ducangium reperies. Et si ferratum, et argentatum, et auratum, et barbatum dicimus, cur non etiam «vitratum» liceat facere, sicut eleganter faciunt «vitrer» Galli, nos Itali elegantius fere novimus «vetrata carta» quam non facile, antiquis illis Ciceronibus penitus incognitam, rectius aut clarius cognominabis quam «cartam vitratam» et te ego, si abstinendum voce dixeris, quod apud neminem classicum scriptorem effodiatur, te ego ineptum hominem nimiumque putidum ratus tuis te relinquam bacillis depascendum.

Neque potui divelli a voce illius vehiculi, quod hodiernis Graecis «autocinetum» est, quod nos automolum (currum) vitata hybrida voce quae est «automobile» interdum vocamus, quam excogitavit jam ante annos quadraginta Philadelphiae Arcadius

*Avellanus argutissime: esse illum currum, quod non jungatur jumento, quod de-jugis sit, contractione facta ut in bigis et quadrigis, «digam». Hanc vocem ego hoc accepto libentius, quod statim dat nomen rectoris ejus currus, quem digarium esse agnoscimus eademque forma usi adjective lychnum digarium dicimus, capsum digarium, casus digarios.*

*Huic voci ad elegantiam Latinam nihil deest, nisi hoc, quod apud Ciceronem aut saltem Caesarem non est: sed ipse Cicero digam ultro acceptaret et ei, qui hoc nomen invenisset plauderet, tam bene ei videretur Latinum esse.*

*Et ferroviarium «agmen» ante solebam appellare, quod ferrea ageretur via, illum ordinem curruum concatenatorum, qui motrice machina trahuntur. Sed ecce tibi nuper in Budapestinensi JUVENTUTE «tramen» vel «tramentum» ferroviarium scilicet, quod via traheretur ferrea. Ego libentissime tale vocabulum addo meo vocabulario, quoniam vileo et rectissime derivari (immo alio sensu jam exstiterat) et non minus significanter id quod trahitur continet quam «treno» italicus et «train» gallicus. Neque est necesse dicere me ex tramento tramentarium facere, ut magistrum tramentarium, tabulas tramentarias, tramentarias mutationes. Et quoniam de via ferrea loquimur, ipsas illas ferreas regulas, quibus aliqua via ferrea est, quas rails et rotaie vocant, ut rotalia (rotale) nominem, vel rotabula, hoc est quae ad rotationem pertinent, vel quibus rotantur currus rotae, nisi forte meliora alicunde abstulero, inductus sum.*

*Tantum erat, quod te nunc volebam monitum. Hoc tamen lubet addere: invitari te, ut tua in medio ponas judicia, meliora meis proferas, alia interroges; nam iis ipsis judiciis et interrogationibus efficies, et PALAESTRA sit quod profitetur nomine: schola luctandi. Vale. Romae, V. Kal. Majas a. 1943.*

AVENARIUS

## **Veni Coronaveris**

Festivo resonant nunc juga montium  
turbarum streptu, perque cacumina  
aut tractus dubios imaque vallium  
signa prosiliunt picta coloribus  
primis, quae zephyris tradita flantibus,  
panduntur nitidi luminis ad facem.  
Insignes veniunt cum populo viri:  
hic sacrae sophiae mille reconditis  
doctus notitiis, ille micantibus  
acris militiae magnus honoribus;  
alter Christianum nobis infulls;  
alter magnificis in proprios greges

praestans officiis imperialibus.  
Fervens pectoribus quae latet intimis  
cuncti laetitiam vocibus expriment.  
Quod si nunc libeat noscere planius  
cur montes trepidant insolito modo;  
quaere convenient Virgini atria  
turmae sic hominum laeta crepantium,  
nunc praeclara dies, nunc agitur dies  
qua late populi solliciti suae  
Reginae egregiae tempora circulo  
ex auro et lapide multiplici ambiunt.

FR. JOSEPHUS B. URQUIOLA, O. F. M.  
Oniati, 1943.

# REGINA PACIS

«*Bella dum vasto furerent tumultu*»

Omnium princeps operum, Maria,  
Temporum lapsum dominaris una;  
Lucis aeternae sine labe splendor  
Sola et imago.

Te sibi matrem Dominus paravit  
Antequam mundum faceret, manumque  
Prodiga caeli sereret profundum  
Aethera stellis.

Jam profecturus pater exul Adam  
Te Dei novit monitu parentem  
Alteram nobis Geniti daturam  
Munere vitam.

Te novum signum cecinit propheta  
Virginem Matrem, Moisi que vinci  
Te rubus miro retulit stupenti  
Nescius igne.

Rore te vellus Gedeonis udum  
Caelitus factum, Noe te colore  
Nubium tractus vario serenans  
Innuit Iris.

Altera aeternae, pia Mater, Iris  
Pacis, oh! nobis miserans adesto,  
Justa nam summi Genitoris orbem  
Ira perurget.

Mentis humanae tenebras superne  
Disjice horrendas, aciemque dia  
Luce confirmans rationis ausa  
Contine vana.

Falsa promentes sequitur prophetas  
Obsequens vulgus; fera turma Christo  
Surgit insultans, odiisque flagrans  
Saeva minatur.

Nil habet sanctum; ruit omne praeeptum  
Per nefas; culpae temerata pudendis  
Quidquid augustum, Domini perosa  
Nomen et ipsum.

Undique exardent animi et frementes  
Intonant linguae: «*novus ordo rerum...  
Nolumus Christum... Crucis execranda  
Transiit aetas*».

Caedis effrenae cupidus ferina  
Scindit et gentes agitat simultas,  
Cunctaque alternae furor ater urget  
Pectora cladis.

Clamitat pacem; tigris dum furens  
More sed pergunt laniare fratres!  
Bella jam tristi lacrimosa mundum  
Caede cruentant.

Ast nimis terrent animum futura  
Visa praesagae graviora mentis;  
Quantus, heu! terris labor et malorum  
Ingruit horror!

Supplices audi, pia Virgo, et Iris  
Pacis illustra, procul a salute  
Jura ut errantes recolant redempti  
Regia Christi.

Sub crucis signum coeant ubique  
Gentis humanae populi volentes,  
Ac Bonus Pastor regat unus unum  
Christus ovile.

ALOISIUS LUCESOLE, Presb.

*González Catán, apud Bonas Auras  
30 Augusti 1942.*

# ***Nova et vetera***

## ***Tempus aestivum***

Sicut hominum vita a prima infantia in dies roboratur atque firmatur usque ad constantem aetatem, qua homo in flore juventutis constitutus operosos perficere valet labores ac fructus ingenti et manuum percipere, sic anni cursus progreditur et ridentes veris flores, adventante aestate, in fructus mutantur: «Transit in aestatem post ver robustior annus» (*Ovidius*). Ac vere tota natura maximo vigore et robore ornata conspicitur: Sol diuturniores ducit dies, qui maximo calent aestu; caelum sudum apparet, nisi repentina cohoriatu tempestas et imber irruat; noctes breviores fiunt; lenis aura diem recedentem refrigerat umidamque parat noctem; stellae circum magnum aetheris axem placide volvuntur et astra fixa fulgenti splendent lumine: ut rident hominibus aestiva nocte vagantia sidera!...



Maturatae segetes albescentes aristas inclinant, quae messorum falcibus cedant: triticum, siligo, <sup>1</sup> robus, <sup>2</sup> far, <sup>3</sup> hordeum, <sup>4</sup> avena, <sup>5</sup> secale <sup>6</sup> falce messoria <sup>7</sup> aut veruculata <sup>8</sup> metuntur aut messoria machina. <sup>9</sup> Manipuli <sup>10</sup> seu mergites vincuntur atque in manipulorum cumulos <sup>11</sup> glomerantur. Area deinde paratur et ingenti cylindro <sup>12</sup> solidatur, plaustris mergites in aream advehuntur et equorum et mulorum rapido cursu incipit tritura; rusticus tribulo <sup>13</sup> insidens vehitur et sub vesperum, cum ventus perflat, ventilabro <sup>14</sup> triticum et palea ventilantur <sup>15</sup> ut discernantur; vanno <sup>16</sup> tandem frumentum aceribus <sup>17</sup> et arenulis purgatur. Quae omnia nostra aetate machina trituratoria <sup>18</sup> perficit. Triticum deinde et aliae segetes in horreum, <sup>19</sup> in sirum, <sup>20</sup> in granarium <sup>21</sup> asservantur ad panem conficiendum, ad animalium pabulum, cet.

Pariter alias fruges, legumina, olera «fundit humo facilem victum justissima tellus»: oryzam, <sup>22</sup> tubera solana, <sup>23</sup> phaseolos, <sup>24</sup> cicera, pisa, <sup>25</sup> spinacias, <sup>26</sup> betas, <sup>27</sup> betaceos, <sup>28</sup> caepas, <sup>29</sup> allia, lycopersica, <sup>30</sup> melongenae, <sup>31</sup> brassicas, <sup>32</sup> cet.; atque arbores, fructibus onustae laetae agricolis poma porrigunt: cerasa, mala, pira mala persica <sup>33</sup> et armeniaca, <sup>34</sup> pruna, <sup>35</sup> ficus podrōmi, <sup>36</sup> cum fragis, <sup>37</sup> rubis, <sup>38</sup> melonibus, <sup>39</sup> citrullis, <sup>40</sup> cet.



Sub finem m. augusti venationis licentia datur. Venator, prima solis luce, surgit e lecto, vestem induit expeditiorem, saepe impluviam, <sup>41</sup> calceat sibi perones, <sup>42</sup> vel ocreas <sup>43</sup> aptat calceis, caput obteggit petaso ad solis calorem arcendum, sclopetum, <sup>44</sup> duabus cannis <sup>45</sup> instructum, abstergit et parat, reticulum <sup>46</sup> umeris imponit, embolorum cinctorio <sup>47</sup> succingitur, et cane venatico comitatus, montana, vales, nemora petit ubi cuniculi et lepores in perfugiis



placide quiescunt, et perdices, coturnices, palumbes nidos texerant et eorum pulli prope vagantur. Olim venabulis, arcu, sagittis praeda aucupabatur, nunc autem maxime per sclopetationem. 48. Sclopetum embolis 49 oneratur: 50 ii vero referti sunt pyrita seu pulvere sulphurato, 51 interfectis minoribus plumbeis globulis; 52 concutitur seu adducitur 53 ligula 54 quae percussorem 55 movet et emboli fundulum 56 fert, hic vero percussoris ictu ignem concipit atque pyritae in embolo incluso communicat, projectillis capsula disploditur 57 et magna vi globuli plumbes in praedam emittuntur. Si recte speculatum 58 et collineatum 59 est, praeda percussa decedit et a canibus investigatur atque odoratur; 60 ex venatione lautae cum amicis instruuntur epulae. — Parvuli quoque venatores aves insequuntur easque amite, 61 illice, 62 pedica, 63 transenna, 64 aucupari delectantur.

Sunt qui piscatui plus quam aucupto indulgere malunt, et arundinem 65 sumunt, lineam 66 hamo 67 instruunt cui escam 68 infigunt et longo tempore stantes piscium spectant adventum et morsum; alii nassis 69 seu sirpiculis piscatoriis ad ripam fluminis appositis piscantur; qui tamen ex piscium venatione vivunt, cymbulam conscendunt, et in medio mari. In piscina, in flumine, nocturno in primis tempore, everricula 70 tendunt quae, post aliquot horas, piscibus onusta levant adspontantque ad litus.

Hac etiam tempestate corpus lavare et refrigerare maxime juvat. Plures cottidie domi lavantur in balneo, labro 71 instructo, vel in baptisterio 72 vel per lavationem irrigatoriam, 73 alii cum calor invalescit, praesertim vero post deambulationem per pineta vel per montium cacumina, descendunt in lacum, in piscinam, ad maris litus, ubi natantes refrigerantur; thermae 74 quoque curationis 75 causa frequentantur. Saepe in balneis publicis apodyterium seu vestiarium 76 est, ubi vestes cottidianas hujus disportus 77 amantes ponunt quae custodiantur et veste balnearia, 78 semicinctio, 79 subligaculo balneario 80 induuntur.

Tandem, ut calorem et sitim aestate depellamus, omnia frigida appetimus: domi alimenta in frigidario 81 reponimus ne corrumpantur, aqua et vinum mensis cum gelu apponuntur, per diem nobis in deliciis sunt potatunculae frigidae, 82 refrigerantia: 83 cerevisia, 84 gaseosa, 85 siphon, 86 citronea, 87 aurantina, 88 sicera, 88\* quae machina refrigeratoria seu nivaria 89 domi vel in thermopolio, 90 vel in caefaria 91 refrigerantur; saepe etiam per vias incedentes a caupone refrigeratore 92 cuppedias gelatas 93 emimus.

Vos, pueri, dum talia gustatis et laeti ferias aestivas agitatis, plurimum relaxate animum, «ut is aptior ad cogitandum redeat vobis».

## Vocabularium

1 siligo, inis, f., <i>trigo candeal</i> .	10 merges, itis seu manipulus, <i>baz, gavilla</i> .	19 horreum, <i>troje</i> .
2 robus, oris, n., <i>rubiön</i> .	11 manipulorum cumulus seu acervus, <i>bacina, fascal</i> .	20 sirus, i, <i>silo</i>
3 far, farris, n., <i>escanda</i> .	12 cylindrum, <i>rodillo</i> .	21 granarium, <i>granero</i>
4 hordeum, <i>cebada</i> .	13 tribulum, <i>trillo</i> .	22 oryza, <i>arroz</i>
5 avena, <i>avena</i> .	14 ventilabrum, <i>biello</i> .	23 tuber solanum, <i>patata</i> .
6 secale, is, n., <i>centeno</i> .	15 ventilare, <i>aventar</i> .	24 phaseolus, <i>aluvia, frisol</i> .
7 falx messoria seu stramentaria, <i>hoz</i> .	16 vannus, us f., <i>barnero, criba</i> .	25 pisum, <i>guisante</i> .
8 falx veruculata seu fenaria, <i>guadaña</i> .	17 acus, eris, n., <i>granzas</i> .	26 spinacia, <i>espinaca</i> .
9 machina messoria, <i>segadora (máquina de segar)</i> .	18 machina, trituratoria, <i>trilladora</i> .	27 beta, <i>acelga</i> .
		28 betaceus, <i>remolacha</i> .
		29 caepa, ac, caepe n., <i>cebolla</i> .
		30 lycopersicum, <i>tomate</i> .

31 melongena, berenjena.	56 fundulus, i, m., pistón (del cartucho).	76 vestiarius, apodyterium, guardarropas, ropero.
32 brassica, col.	57 displodere, disparar.	77 disportus, us, gymnas, ädis, f., deporte.
33 (malum) armeniäcum, alherchigo, abridor.	58 speculari, dirigir la mira (apuntar).	78 vestis balnearia, bañador traje de baño.
34 (malum) persicum, melocoton.	59 collineare, apuntar.	79 semicinctium, taparrabos con falda.
35 prunum, ciruela.	60 odorari, rastrear.	80 subligaculum, subligar, aris, n.. taparrabos.
36 ficus prodrömus, grossus, i, m. breva,	61 ames, itis, palo, horquilla para tender la red.	81 frigidarium, fresquera, refrigerador.
37 fraga, orum, n. pl., fresas.	62 illix, icis, reclamo.	82 potatiuncula frigida, sorbete, helado.
38 robus, i, m., frambuesa.	63 pedica, lazo, trampa.	83 refrigerans, artis, refresco.
39 melo, onis, melón.	64 transenna, cepo.	84 cerevisia, cerveza.
40 citrullus, i, sandía.	65 arundo, inis, caña de pescar.	85 gaseosa, gaseosa.
41 impluvia, impermeable.	66 linea, hilo (atado a la caña de pescar).	86 siphon, onis, sifón.
42 pero, onis, botas.	67 hamus, i, anzuelo.	87 citronea (sc. aqua) limonata, limonada.
43 ocreae, arum, polainas.	68 esca, cebo.	88 aurantina (aqua), naranjil
44 scolopetum, escopeta.	69 nassa seu sirpiculus piscatorius, nasa, cesta para pescar.	88* sicera, sidra. [(orange)].
45 canna, cañón de escopeta.	70 everriculum, red barredera.	89 machina refrigeratoria seu nivaria, cámara frigorífica, nevera.
46 reticulum, morral.	71 labrum, bañera.	90 thermopolium, bar.
47 embolorum cinctorium (theca), cartuchera.	72 baptisterium, cuarto de baño, (piscina pequeña dentro de casa: entre los romanos).	91 cafearia (taberna), café.
48 scolopetatio, onis, f., (deporte), caza con escopeta.	73 lavatio irrigatoria, ducha.	92 caupo refrigerator, vendedor de helados, sorbetero.
49 embolus (capsula projectillis), cartucho.	74 thermae, arum, pl., aguas termales.	93 cuppediae gelatae, sorbete, helado.
50 onerare, cargar.	75 curatio, onis, f., tratamiento de una enfermedad.	
51 pyrites, ae, m. pulvis sulphuratus, pólvora.		
52 plumbeus globulus, perdigón.		
53 concutere, adducere, apretar.		
54 ligula, gatillo.		
55 percussor, percusor.		
Alabonae, X Kal. Junio, a MCMXLIII.		JOSEPHUS M. <sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## Commercium Epistulare

Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F. cl. viro Josepho Wagner s. p.

Paucos ante hos dies alumnus, qui cursum latinitatis quintum — extremum in nostris Collegiis — exigunt, scriptiunculam liberam indixi, ita tamen, ut epistolam ad amicos aut ad scholares nostros alibi degentes conscriberent. Eis nuper aliquot «Juventutis» vestrae fasciculos — quos ex sede nostra Barcinonensi acceperam — in aula ostendi atque perlegi. Ora vultusque omnium sibi ephemeridem magno opere placuisse significant.

Data die scriptorum codicillos tradunt, aperio, lego et . . . admirationem mihi concitant et gaudium, quae oculis inspicio: alii ad fratres suos «Postulantes» in Lusitania, in Baetica Provincia, in Italia commorantes, lepidas narrationes scribunt,

sed et duo ad scholares Hungaricos — quorum humanitatis ac litterarum amorem perceperunt, quorum fidem catholicam mirati sunt, quorum faceta et ridicula ipsis risum moverunt —, verba faciunt cum eisque sermonem instituere expetunt. Quas igitur, honorate vir et «Juventutis» Moderator, conscripserunt, epistulas, ad te mittendas institui, ut, si tibi lectoribusque grata fore censueris, typis exprimas atque edas.

Nunc autem, hac arrepta occasione, quid ego de vestra «Juventute» sentiam, aperte dicam. Interrogasti enim minores lectores «quae maxime in Juventute placerent»: majorum sententiae ac voces non displicebunt certo.

Vestrum illud studium in latinum sermonem, quod plurimum in vestris Collegiis fervet, mirabile in primis videtur: ea contentio, qua adulescentes ac juvenes nobili aemulatione hac exercentur palaestra: ii rectorum animi nervique, ut alumni latinitatem calleant, ut faceta proferant et narrationes, ut ludos scenicos scite expriment et agant, ut carmina latina musica modulatione cantent, ut hodiernis rebus apta parentur verba et locutiones, ut per radiophonium summi latinitatis magistri orationes lectionesque edicant: quis haec omnia non demiratur? eaque nobis hispanis stimulos animosque non addent ut, qui majora de latinitate percepimus beneficia, majore simul nobilitate et gloria vobiscum hac contendamus palaestra? — Ac catholica sensa, quibus abundat «Juventus», quis non laudet? Hispanis praeter ea erga ingenuos nobilesque Hungaricos officium exstat explendum. Dum alma Hispania Mater bello nuper transacto hostes — non filios — profligaret, «Juventus» semper Nationalistarum partes tuita et prosecuta est: si igitur etiam nunc nemo hispanorum pro eo tibi, colende vir, gratiam rettulit, en accipe nostram, dum tot errationes, tot pericula, tot praesentis mortis minae, quas passi sumus, in mentem veniunt. In illis lugendis eventibus procul a nobis, — vos hungarici — nostri sincero animo miserebamini...

Non nullas notaveram lucubrationes, quibus legendis in «Juventute» maxime delectatus sum, eas tamen minime exprimam cum haec mea epistula plus aequo protrahatur. Plurima ex «Juventute» nova verba in schedulis redegei, quae conferam, optima seligam atque usu adhibebo. Lugendum sane non omnes fasciculos ab anno 1938 nos habere, et jam ab mense augusto eam non legimus. — Qua ingressi estis via, strenui pergite omnes et adulescentes et magistri alta ornatu doctrina auctoresque in colenda latinitate indefessi.

Plurimum valete, et Deus pacis vota vestra fortunet.

Alabona, — ad Caesaraugustam — kal. februarii anni 1943.

*J. Wagner rev. collegae Josepho M. Mir s. p. d.*

Gaudio non mediocri affectus perlegi tres epistolas, quarum primam et secundam jam in «Juventute» editas tibi transmittere possum, tertia autem proximo fasciculo edetur. Etiam ego saepe frustra PALAESTRAM LATINAM exspecto. Quamquam «Inter arma silent Musae», tamen PALAESTRA LATINA et «JUVENTUS» non silent, sed

cum tota tere Europa bello flagret, epistulae, libri et alia hujus generis per cursum publicum missa persaepe non adveniunt ad eum, cui dabantur.

Unus ex sociis meis juvenilibus, Alexander Weber respondet alumnis tuis, quam epistulam tibi hic trado, ut in PALAESTRA LATINA publicare velis. Spero fore, ut vincula amicitiae inter alumnos tuos et socios meos in dies solidiora et firmiora fiant. Responso Alexandri Weber in PALAESTRA LATINA publicata exspectabo iterum responsum unius ex alumnis tuis ut in «Juventute» edatur. Etiam Weber sacerdos fieri vult, quare commercium epistulare jucundissimum fore ambobus certum est. Sed etiam aliis et Hispanis et Hungaris utiles jucundaeque lectu erunt epistulae utrimque datae atque acceptae, cum vitae rationes duorum populorum tam similes sint. Saluta, si vis, meis verbis Rev. collegam Jiménez, nec non alumnos tuos, quorum conatibus ut Superi faveant, toto corde precari nunquam desino. Te autem iterum salutans valere jubet is, qui supra nomen scripsit. Deus te protegat!

Dabam Budapestini, V m. Maji a. D. 1943.

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir, Josepho Wagner sal.*

Dum mecum ipse cogitarem fore ut epistulam meam ac discipulorum in cursu postali intercidiſset, mihi tuae suavissimae cum duobus «Juventutis» fasciculis reditae sunt, sed Weber tuus nunquam, — pro dolor! —, aderat. — Humanitatem igitur tuam rogo ut exemplar Weberii epistulae mittere quantocius ad nos velis vel eam in «Juventute» cures edendam, ne denuo in veſtura publica corruat. — Moderator noſter Jiménez grato tibi animo plurimam salutem reddit. Vale. Id. Augustis.

*Claretiani Poſtulantés ſcholáſticis hungaris latinum ſermonem colentibus S. P.*

Commercium epistulare cum illis inſtituere, qui magno ſtudio latinas etiam colunt litteras, nos maxime juvat. Propterea ad vos, linguae latinae adamantes, has litteras scribere conſtituimus. Amorem, quo hanc linguam proſequimini, in ſuis pagellis clare oſtendit «Juventus». Vobis enixe ideo gratulamur. Nos quintum latinis cursum agimus atque Horatii Artem Poeticam jam vertimus, triſtia Ovidii carmina valde mirati ſumus et modo in vertenda Aeneide Vergilii obleſtamur. Praeteritis annis Ciceronis, Livii, Salluſtii, Cúrtii, Caesaris etc., plura ſelecta vertimus fragmenta. Vos autem quos auctores interpretamini? Aulis libentiſſime adſumus; in eis nunc egregias Sanctorum Patrum homilias peroramus, nos enim Sacrum Altare ſubire exoptantes, eloquentia ornatos eſſe admodum oportet. Nonnullis diebus aliquos dialogos exhibemus. Vos classicos Terentii Plautique dialogos ſeu comedias repraeſentare minime ignoramus. Litteris quoque graecis et hispanis diligenter vacamus. Quindecim diebus nuper quievimus ut, a ſtudiis vacantes, hilares celebrare Divini Pueri natalem. Dulcia feſta! ſed jam tranſierunt, et iterum, auctis viribus, in aulas convenimus. PALAESTRAM LATINAM ſi legeritis, aliquas forte invenietis lucubrationes noſtras. Si a vobis litteras acceperimus, magna afficiemur laetitia, ſicque inter nos inſtitutum erit commercium epistulare. Valete et iterum valete in Domino. Alabonae, kalendis februaryiis, MCMXLIII.

ALOISIUS CANALS, C. M. P.

## De erratione Georgii Pelleterii pueri

VI. Exemerat illa ex risco tenuem merendae penum, ad quam invitabat filiolum, panem, caseum, poma. Illa intenta vicissitudini cuniculorum, qui cum magna admiratione Georgii diem obscurare coeperunt, mammae invitationes negligebat. Certe illa non sentiebat esuriam Georgii, quem ad extremum ciborum adspectus magis occupabat, quam quod ferrovium agmen indentidem sorbebatur montibus. Materna perspicientia mulier in oculis legebat desiderium pueri, et velut filium suum invitabat eum, ut ex istis cibariis acciperet. Quin etiam abscindens tergiversationem ejus cibum ei in manu posuit, et postquam animadvertit eum jam magno cum gaudio pasci epulis ab ipsa Providentia oblatis, materne ei subridens hortabatur ut libere sibi sumeret quantum vellet.

Providentia, inquam, quae etiam jejunam pascit aviculam, veluti pia mater vigilans, erranti filiolo in tempore necessaria suppeditaverat alimenta. Subit etiam Georgii menti ea cogitatio, et manus tacite immissa in sacculum, ubi quondam quieverat thesaurus ejus, alium ibi attigit thesaurum, eum, quem data opera secum duxerat unicam sarcinulam, metallicam illam quadrulam Matris Auxiliatricis, consciae lacrimarum suarum et somniorum, cui hoc iter ex principio commendaverat. Et Mater caelestis, ut paucis horis ante ex altari Taurinensi, etiam tum gratam habuit ingenuitatem obsequiumque parvi servi sui, ejusque animum perfudit certae affectione serenitatis, cum etiam sedata fame bene corpus esset.

Quodam loco percursus ad eam portam aedis, quae accessus in currus ambulacrum patebat, adstat homo duobus comitatus custodibus, qui circumspectis viatoribus magna vi clamat: Sumite in manus syngraphos. Georgiolus conspectis per forem custodibus, exsiliens interrogat bonam illam feminam: Quid est, oro, quod iste sibi porrigi jubeat? Illa tractum ex sinu libellum porrigens inspectori dicit puero: Postulant syngraphos ab illis, qui ingredi volunt Galliam. Tum Georgiolus ad se rediens, ipse, cum adeo se percelli timore cogitaret, subrisit. Vir ille Georgium intuitus, gestum fecit interrogationis, cui puer clara voce respondit «Non in Galliam eo ego». Cum illi progressi essent ad alios, in mentem ei venit, quod ei dixerat qui tesseram emit: Habesne saltem syngraphum? Tenebāt habere se syngraphum respondisse. Et fuit haec matura longiorum deliberationum conclusio: apparere hoc agmen ferrovium, ubi venisset Nizzam, continuare cursum et longo fortasse emenso spatio perventurum esse in Galliam.

Re autem vera fines Galliae paucis distabant chilometris, quae machina agmen per continuos raptans cuniculos puncto temporis confecit. Ecce tibi in loco cui San Dalmazzo di Tenda nomen longa statio. Unus de publicis custodibus consensu agmine singulos perlustrans currus viatores ostendere documenta jussit. Quanto opera obstupuisse censes Georgiolum jussis officialis! Syngraphum exhiberet, quem, quod in Galliam non iret, non haberet. —Tu ergo quonam iturus es? —Nizzam. —Porro Nizza non est urbs sita in finibus Galliae? —Age ostende tesseram! —Ni-

hil in tessera quidem vitii est; sed hoc est peccatum parvi viatoris, quod privus est syngrapho. Ergo non continuabis iter. Age descendamus; me sequere ad commissarium.

Ergo custos publicus (o nefastum custodum genus!) puerum duxit in oecum, ubi jam alii stabant manibus tenentes chartas. Illic assidet homo ora severior. Is singulorum chartas examinat oculis, inspectas tradit custodi, ut illic signum imprimat. Qui Georgium adducebat, hunc illi severo homini demonstrans clara voce enuntiat: Ecce puer — sine documento hic Nizzam contendit. Ille erigens leniter caput: Ecquis est? inquit. — Ad matrem eo, sic incipit misellus inter obortas et leniter per genas cadentes lacrimas. Et truculentus: Viderimus, viderimus, repetit, et vertens se ad custodem, per jocum certe addit: Includi hunc paulum in carcere, hanc saltem noctem, non nocuerit. Quae vox veluti gladius alte vulneravit animum Georgii tot jam turbinibus illius diei exasperatum nimium. Qui non magis audito carcere inclusionem timuit, quam quae ultro subierunt: se a publico custode ut maleficum reduci ad collegium; graviter objurgari a praefectis, rideri a condiscipulis. Nunquam se commissurum, ut pateretur talia; longe praestare incertae se sine duce mandare fugae, praecipitare se in tenebras, quae jam descendebant ex altis illis montibus, quam se diutius permittere custodum manibus. Et catus elabitur per confertos, qui ad trajectorium comitant, et se immiscet turbae stipanti ostium neque eum quisquam notat aut interpellat. Ad ingressum stationis aliquis eum poscit tesseram: Ohe, cedo tesseram! Tradit Georgiolus tesseram et, quo scripulo temporis ille consummat impressae stationis litteras, se subducit et insano se aufert cursu, priusquam officialis etiam attendat viatotem, qui per errorem exhibuisset tesseram, qua liceret ei continuare iter.

Quonam dicant currere infelicem puerum per tenebras jam etiam ultimas viae albedines vorantes? Stimulantne hunc frigora sic insanum currere? Sic secum quidam, qui in via occurrerat puero, et conversus adhuc prosequabatur oculis, tacite loquitur. Neque vero isti cursori adhuc in mentem venerat illa via quo duceret, ut effugeret custodes, effugeret caveam, nihil praeterea sollicitus. Et tamen ille tam severus, ut videbatur, commissarius animo tam certe tenero tamque paterno erat, ut cum gaudio infelicem puerum cognito errore viae suae reddidisset. Sed Deus, sicut diximus, cujus consiliis omnia serviunt, quae nos tam leviter calamitates esse dicimus, permiserat. An quisquam sibi persuadeat puerum anxium per nocturna currentem frigora tum neglectum decurrisse ab eo, sine quo ne capillus quidem ex ejus capite caderet?

Neque vero membra ejus jam adeo fatigata diutius servare potuerunt in currando velocitatem, quam stimulabat animus. Itaque remoratus gressum paulum substitit et manu compressit pulsationes pectoris, quae eum cum splenis doloribus cruciabant. Caligine noctis et frigida, quam agri exhalabant, nebula prospectus non patebat ultra paucos passus, quibus ea quae retro reliquerat ab iis quae sequerentur dividebantur. Quo magis corpus cursu incaluerat, eo tum, ubi constitit, acerbius mordebant frigora. Tum vero animum pueri invadunt simul omnia: tenebra-

rum horror, frigus, nebula, solitudo, et derelictum se sentiens adnititur viali lapidi et prorumpens in singultus ingeminavit mammam, mammam, dejecti vocem animi.

Confessa res est quendam esse conjunctionem animorum inter homines etiam longe separatos, quam rem nondum penitus explicatam docti doctis notare non minibus. Sic etiam eo ipso tempore, quo Georgiolus tanto intervallo distans anxio animo repetebat matrem, in edita illa casa collis non minore affectu animus matris requirebat filium. Cum patre mater assidebat ad focum, in quo emoriebatur ignis et incommodum obtinebat silentium. Pater stridentem dentibus retinens tabaci fistulam et ignem intuens animo recogitabat, quam vacua domus, vespertinis praesertim horis, discessu lascivientis pueri facta esset; mater demisso capite acu texebat, mente requirebat Georgiolum suum, cujus recordatio majores in animo ejus exturbaverat angores quam consueverat, et jam coeperant lacrimae humectare ei oculos et erat compellatura conjugem, ut ei aperiret eam quae se teneret aegritudinem, cum angusta in eo colle area personuit pedibus propinquantis et paulo post etiam loquentia hominis. Et hera quidem subsiliens voce dolentis potius quam mirantis exclamat Georgium. Andreas surgit, aperit forem, quaedam mussat cum peregrino homine, redit in diaetam afferens complicatam cartam fulvi coloris. Et tremebat ei manus ad tenuem lucem petrolei accedenti, portabat enim telegramma. Tum mater jam non celans timorem et anxietatem inclusam pectore Georgiolum clamat et infortunium. Et quis confirmare audeat telegrammata ista hora in illum terrae angulum perlata boni esse nuntia? Erat sic: Georgiolus post meridiem discessit quoniam incertum. Director.

Ipse qui haec legis mente finge, quot opiniones parentes totam illam noctem discruciauerint de casu filii. Et mihi praesagiebat animus mali aliquid, inquit mater. O miserum Georgiolum! Ubi te nunc esse dicam? In summa —dicit magna voce Andreas, partim, ut animum adderet conjugi, partim ut mitigaret etiam qui timores suam mentem turbare coeperant— in summa hoc telegrammate certiores reddimur abisse illinc puerum; etiam tristior esset nuntius esse mortuum.

Et augens vocem minabatur dissolutulo filiolo salutationem adventanti minus honorificam: quem certe brevi intervallo, inquit, tectum subire paternum conspicere, ubi recipiat justam istius fortitudinis atque fugae mercedem. Sed ne ipse quidem Andreas ignorabat minas illas vanas fuisse futuras, si vere Georgiolus advenisset, ut finem imponeret suspensae illi expectationi ductae in totam illam noctem.

ANDREAS HABERL, S. V. D.

(sequar)

**RECENS PRODIIT**

**SALLUSTI DE CATILINAE CONJURATIONE**

Edición escolar anotada por el R. P. Carlos Mesa, C. M. F.

Venit apud «Textos Palaestra», Lauria. 5 · Barcelona

Edición de solo texto: 2 ptas.

Edición de texto y notas: 4 ptas.

# Per Orbem

Ex clarissimo commentario «*Per lo studio e l'uso del latino*» (an. IV, nn. I et II), sequentia licet breviate in commodum lectorum, circa linguae latinae usum apud suecos. — Latinum inter Suecos quoniam introduxerint, ignotum est; constat vero jam primo saeculo post Christum mercatores romanos ad eos commeasse: nummi, arma, immo et vocabula quae hactenus parce detorta in honore sunt, hujus rei fidem faciunt. Longe plura et graeca et latina una cum fide christiana allata sunt.

Ecclesiae opè, saec. XIII, grammaticae scholae apertae sunt quae penes sedes episcopales et monasteria vigeant ea praecipua cura ut discipuli apte commodeque latine scribere ac loqui discerent. Libri deerant; ore disciplinae tradebantur. Postea adhibita *Ars Grammatica*, seu *Ars Donati*, quam temporibus labentibus, *doctrinale Alexandri de Villa Dei* plerumque suffecit. Classici, ut videtur, maxime adhibebantur.

Renatus tempore libri latini fuerunt il primo in suecorum officinis typis impressi. Post acceptam vero lutheranam, quam dicunt, emendationem (!) latinis litteris major est habita cura ut ex constitutionibus studiorum apparet quae plures ab anno 1539 ad 1571 factae sunt.

Harum postrema illud in primis proposuisse videtur scholarum alumnis ut sc. latina lingua recte ornateque dicere possent ac scribere.

De horis (51) una et quinquaginta quae in unaquaque hebdomade studii dabantur, una et triginta erant latinis litteris destinatae, reliquae ceteris disciplinis quas latine quoque discere oportebat.

Jam primo curriculi anno pueri usitata verba memoriae mandabant posterioribus vero lege sanctum erat: *nihil in schola nisi latine*. Vel in colloquiis ludisque vigeat hoc praeceptum, quod qui infregissent poena afficiebantur. Pro superioribus scholis Cicero solutae ora-

tionis magister habebatur, ligatae Vergilius.

Ordo studiorum an. 1611 latine quidem promulgatus, minus temporis grammaticae, plus classicis tribuit.

Gustavo Adolpho rege, cum suecorum res maxime florent, studiorum Ordo non nihil immutatus est (1649) Commemilii judicio usus nec non doctrinis *Ludovici Vives*, hispani. In ludo inferiori seu triviali de 176 horis hebdomadalibus, 106 horae ad latinam linguam pertinebant, in superiore ludo de totidem horis, latinis praeceptis 48 dabantur horae, graecae linguae 20, latinis disputationibus 8, latina lingua ceterae tradebantur disciplinae. Vel pueris praescriptum erat ut «exercitatio latine loquendi in gymnasio perpetua foret».

Ab an. 1693, nova studiorum ratione promulgata, latini sermonis studia magis magisque recesserunt, puerorum aditus ad latinitatem serus factus est.

Nostra aetate, lege sc. anni 1933 id propositum est ut pueri romanorum scriptorum facilliores locos intellegant recteque in suecanam linguam convertant; ut latinas litteras attingant; ut romanarum graecarumque antiquitatum non nimis angustam cognitionem arripiant.

De 57 publicis scholis, classica via seu sectione incedunt 53, quorum alumni aut per quadriennium semis in hebdomade horis, aut per triennium septenis vel octonis horis latinitati dare jubentur. Qui sane alumni vix plures sunt quam qui respuunt.

